

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0378

0376

0382

0372

0387

0367

0427

per mensem Septembrem, continens acta peregrinorum
in illo mense et loca sancta cum eorum descriptioni-
bus, in quibus peregrini fuerunt diebus illius mensis.

0327

0477

0277

0877

September dum adesset cum prima sua die, Missam in
nostro loco audivimus et post statim cibum sumsimus. Pran-
dio finito advocavimus quendam Sarracenum et eum petivimus,
ut nos ad loca duceret, in quibus Samson gesta fortia egerat,
quae liber Judicum de eo in hac civitate facta commemorat.
Descendimus ergo per longum vicum et intra urbem per pla-
team quandam venimus, in cuius parte ruinas magnae domus
vel palatii vidimus, murorum fracturas in acervum ingentem
congestas. Creduntur autem hae ruinae esse templi Dagon
antiquissimi, quod Samson concussis columnis dejecit et se
cum satrapis Philistinorum et multo populo peremuit. De quo
longa habetur historia Judicum XVI. Inter murorum ruinas
vidimus duas columnas marmoreas, ingentes, grisei coloris,
quae totum templi aedificium sustentaverant; has concutiens
Samson templum evertit, et inimicos prostravit. Ab hoc loco
consequenter progressi longa via ad civitatis portam venimus,
cujus fores cum postibus et seris nocte media abstulit Samson,
eosque in montem civitati oppositum portavit et manus ini-
micorum, qui se in civitate concluserant, evasit. Per hanc
portam de urbe exivimus et montem praedictum ascendimus
ad locum, in quem Samson portas Gazae transtulit, et ipsum
locum et totam circumferentiam consideravimus. Ibi vidimus
Tampnata, oppidum Philistinorum, de quo sibi Samson
uxorem Philistaeam assumxit et multa ibi fecit, ut dicitur Ju-
dicum 13. Vidimus etiam vallem fertilem Soreck, in qua
vinea illa electa fuit plantata, de qua habetur Esaiae XI. In
hac valle residentiam habuit illa fallax Dalida, quae Samsonem

Ende

Anfang

